

SCRIPTA

Numéro Scripta : 4817

Auteur(s) : Innocent IV [pape]

Bénéficiaire(s) : Cîteaux (ordre)

Genre d'acte : bulle

Authenticité : non suspect

Datation : 1245, 5 octobre

Lieu d'émission : Lyon

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

Innocent IV décide que les monastères de l'ordre de Cîteaux ne pourront être visités et réformés par nuls autres que par des abbés dudit ordre et des moines députés par ces abbés.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Andrieux Jules, *Cartulaire de l'abbaye royale de Notre-Dame de Bon-Port de l'ordre de Cîteaux au diocèse d'Évreux*, Évreux, Hérissé, 1862, n° CXXXIX, p. 137-138.

Texte établi d'après a

Innocencius, episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis abbati Cistercii ejusque coabbatibus et conventibus universis, Cisterciensis ordinis ; salutem et apostolicam benedictionem.

Thesaurum virtutum sic preclara vestra religio suum semper astrinxit affectum quod habetur et in conspectu Regis eterni placita et in oculis hominum graciosam. Ipsa quidem ut columba mitis et humilis et electa Domini specialis, pulchra per totum aspicitur, omnem a se rugam enormitatis abiciens et maculam deformitatis excludens, jugulantibus illis qui paterne sollicitudinis in ea gerunt officium, quod ibidem nulle possint viciorum spine sue crescere, sed ipsa florum honoris et fructuum honestatis immarcessibili polleat ubertate ; propter hunc et enim sancte operationis effectum, numquam ordo vester officio aliene visitationis vel correctionis indiguit, sed de ipso aliquibus aliis reformationis beneficium ex providencia sedis apostolice jam provenit. Cum itaque nos, qui ex hujusmodi virtuosius actibus spiritu in Domino exultamus, claris agnoscamus indicium dictum ordinem esse aliis recte vite speculum et salutifere conversationis exemplum quod ipse sicut olim sic et in posterum, ab ejusdem dumtaxat abbatibus ac monachis ydoneis, quos vos filii abbates ad hoc provideritis deputandos et a nullo alio visitari possit, aut corrigi, auctoritate presencium duximus statuendum, eadem auctoritate nichilominus decernentes ut si aliquid contra statutum hujusmodi a quoquam propria extiterit temeritate presumptum, sit irritum et inane, et si forte aliqua sentencie in nos occasione hujusmodi prolata fuerint, nullum robur optineant firmitatis, mandato sedis apostolice semper salvo. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Lugduni, III nonas octobris, pontificatus nostri anno tercio.